Wissenschaftliche Beilage zum Programm des Königlichen Gymnasiums
zu Strasburg Westpr.

Ostern 1886.

Ubi et quo tempore ortus sit hymnus Homeri VII in Dionysum.

Scripsit

A. Chudziński.

Strasburg Westpr.
Buchdruckerei von A. Fuhrich.

1886. Progr. No. 41.

Ubi et quo tempore ortus sit
hymnus Homeri VII in Dionysum.

Scripsit A. Chudziński.

Innumerabiles iis, qui in historia literarum Graecarum enucleanda versantur, hymnorum Homericorum qui vocantur aetatis originisque circumscriptionem obicere difficultates satis est notum. Nam inde a temporibus Davidis Ruhnkenii, qui primus quaestionem difficillimam de natura et origine hujus partis poëseos epicae suscipere ausus est,[1]) usque ad nostram aetatem virorum plurimorum doctissimorumque studiis laboribusque nihil fere profectum est, nisi ut nullum prorsus hymnum ad Homeri tempora, cujus nomen per tot saecula venditaverunt, pertinere, sed omnes esse posteriorum temporum et multis debere auctoribus originem pro certo habeamus. Quae praeterea dicuntur, tam sunt incerta et tam futilibus argumentis nituntur, ut ne majorum quidem hymnorum cui palma antiquitatis tribuenda sit, utrumne hymno in Apollinem Pythium an hymno in Apollinem Delium an in Venerem, satis constet, quamquam in iis multo plura et manifestiora temporis vestigia extant. Cum igitur de hymni VII, qui in Dionysi honorem conscriptus est, origine et aetate accuratius agere induximus animum, rem nos suscipere multo difficiliorem minime nos fugit. De majoribus enim hymnis quinque multi scripsere iique gravissimi cum literarum Graecarum tum rerum mythologicarum investigatores.[2]) Illum Hymnum nemo adhuc accuratius tractavit, sed qui scripserunt, satis putaverunt confirmare hymnum aevi recentioris esse, quasi haec sententia neque demonstratione egeret neque in dubitationem vocari posset. Mihi vero haec opinio, quamquam ab auctoribus gravissimis profecta et divulgata est, ut vera sit, non paulum abesse videtur; certe multa sunt, si subtilius examinaveris, quae te, ut aliter judices, movere possint. Quae dum explicare paro, satis video quantas in hac disputatione carminis exiguitas afferat difficultates, praesertim cum de majoribus hymnis in tanto versuum numero nullus sit hominum doctorum consensus. At si quis illam brevitatem ita obstare putet, ut mea sententia probari non possit, non video, cur eadem brevitas aliis non obstiterit, quominus recentiori tribuerent aetati. Magnas utique hujus disputationis difficultates et quasi pericula esse concedo, neque is sum, qui in istis rebus omnium doctorum hominum consensum fieri posse putem: satis habebo, si contrario judicio sublato in eam sententiam homines doctos adducam, ut, si ulla dijudicatio esse possit, in mea aliquam esse veri speciem confiteantur. Probare autem constitui et quo loco et quo tempore hymnum VII. ortum esse verisimile sit.

---

[1]) Epistola critica I in Homeridarum hymnos et Hesiodum ad virum clarissimum Lud. Cas. Valekenarium, Lugd. Bat. 1749. Triginta septem annis post eum praestantissimus hymnorum criticus extitit Ernestus Groddek, cujus libellus „de hymnorum Hom. reliquiis“ in lucem prodiit Gottingae a. 1786. Eorum studia editoribus hymnorum viam muniverunt. Quorum nobilissimi fuere: Augustus Ernesti, Lipsiae 1764; Fr. A. Wolfius, Lipsiae 1784; Carolus Dav. Illgenius, Halis Sax. 1796; Aug. Mathiae, Lipsiae 1805; Godofr. Herrmannus, Lipsiae 1806. Agmen claudit nostris demum diebus Augustus Baumeisterus, cujus editionem hymnorum Homericorum (Lipsiae 1860) potissimum nos secutos esse fatemur.

[2]) Praeterquam quod in editionibus hymnorum hymnis majoribus subtilissimi additi sunt commentarii, singillatim de hymno in Apollinem scripserunt: Schierenberg, Ueber die ursprüngliche Gestalt der beiden ersten Hom. Hym. Lemgo 1828. Car. Kiesel, De hymno in Apoll. Homerico, Berlin 1835. Joseph Priem, De hym. in Apol. Delium, Monast. 1872. Schneidewien, Die Hom. Hymn auf Apollo, quem librum me ignorare fateor. Maxime tamen hymni in Mercurium et in Cererem multorum animos occupaverunt, ut praeter illos majorum gentium philologos Groddeckium, Illgenium, Hermannum, Baumeisterum, minorum quoque nostris diebus munus difficillimum subirent non pauci veluti Oscar Schulze De hym. in Merc. Hom. compositione, pristina forma interpolatione Hal. 1868; Gerh. Greve, De hym. in Merc. Hom. Berl. 1872. Qui de hymno in Cererem umquam scripserunt, eos enumerat accuratissime Baumeisterus H. H. p. 265; quibus fortassis adjungas Gust. Gemss, de hymno in Cererem, Berl. 1872. et Osc. Gutsche Quaest. de Hom. hym. in Cererem, Hal. 1872. De hymno in Venerem pauca quaedam attulisse invenio Rudolphum Wirsell libello, qui inscribitur: Quaestiones de hymno in Ven. Monast 1869.

Atque verum investigantibus duplex offertur disputationis ratio: nam et ex versuum structura et vocabulorum usu et ex dialecti proprietatibus nec non ex arte poetica atque ex rebus nominibusque, quae occurrunt, argumenta sunt petenda. Ut igitur ante omnia de genere sermonis quid nobis videatur brevi exponamus, procul dubio est, quin sermonis similitudo, quae inter vera Homeri carmina et hymnos intercedit, effecerit, ut ei quoque Homero tribuerentur. Qua in re veteres effugit, quanta in iisdem insit dissimilitudo. Illud vero mihi ut plerisque ante me concedendum videtur hymnos, quo propius ad Homeri sermonem accedant, eo propius ad Homeri accedere aetatem. Ita hymnos in Apollinem et hymnum in Venerem meliore jure Homericos appellari arbitremur necesse est, quam hymnos in Mercurium et in Cererem, qui eo honore vix digni esse videntur, quippe qui ab Homeri sermone plurimum abhorreant. Quorum si, qui propius qui longius absit, constituere volueris, audiendus tibi sit Windisch, qui sub finem libelli, quem „de hymnis Homericis majoribus" conscripsit,[1]) rationem accuratissimam iniit, quantum quisque hymnus Homero debeat, quaestionemque totam in tres partes divisit. Quae enim ratio inter carminis uniuscujusque et Homeri usum intercedat, optime perspici dicit, cum numerus inquiratur primum eorum versuum, qui integri ex Homero sumpti sint, deinde eorum, qui in formulam vel hemistichium Homericum exeant, denique vocabulorum eorum, quae apud Homerum non inveniantur. Itaque accuratissima dinumeratione facta in extremo libello tabulam constituit, ex qua hymnos in Venerem et in Apollinem Pythium numerum versuum ex Homero desumptorum longe maximum, vocabulorum autem Homero ignotorum longe minimum habere patet, sequi hymnum in Apollinem Delium, post eum hymnum in Cererem, in Mercurium autem hymnum postremo loco esse. Quem examinandi modum si in nostro hymno adhibeamus, ex ipsis numeris appareat eum Homeri nomen injuria usurpare. Nam in versuum undesexaginta toto numero nullus invenitur, qui cum ullo Homeri versu prorsus concinat. Iam admodum pauci versus extant, qui in formulam Homericam exeant vel aliam quamlibet, quae ita sit pacta, ut dubitari non possit, quin singulis immutatis verbis ex Homero sumpta sit. Qui versus omnino sunt sex, ut decimam partem versuum efficiant.[2]) Contra numerus vocabulorum, quae apud Homerum non leguntur, satis magnus est. Quindecim enim sunt, ut singula in quaternis versibus inveniantur[3]) Versuum igitur ex Homero aut integrorum aut magnam partem desumptorum numerus exiguus, quam longe differat ab Homero hymnus VII, satis demonstrat: idem ex vocabulorum eorum, quae apud Homerum non leguntur, in hoc autem hymno extant, numero satis magno patet. Quae numerorum rationes quantum valeant, facilius intelleges, si hanc tabulam inspexeris, ex qua quam multi sint versuum verborumque communionis in hymnis gradus, cognosces. Habent enim:

	omnino versuum;	ex Hom. desumptorum	in formulam Hom. exeunt,	vocabul. Hom. ignot.	
h. in Ven.	293.	20 sive 15um quemque v.,	160 sive 2um quemque v.	22 s. in 13 quoque v.	
h. in Ap. P.	368.	37 „ 10um „ „	178 „ 2um „ „	38 „ „ 10 „ „	
h. in Ap. D.	178.	7 „ 25um „ „	65 „ 3um „ „	25 „ „ 7 „ „	singula.
h. in Cer.	495.	8 „ 62um „ „	165 „ 3um „ „	90 „ „ 6 „ „	
h. in Merc.	580.	4 „ 145um „ „	130 „ 4um „ „	190 „ „ 3 „ „	
h. in Dion.	59,	0 „ — „ „	6 „ 10um „ „	15 „ „ 4 „ „	

Haec igitur, quae de sermonis communione sive differentia collegimus, magnam ostendunt inter Homerum et hymni artificem dissimilitudinem esse: illa vero, quae jam de versuum structura observaverimus, similitudinem magnam ostendent. Versuum enim structura ab Homerici hexametri ratione minimum abhorret, quamquam in rebus paucis exigua quaedam discrepantia nobis occurrit, si carmen nostrum cum primo Iliadis libro conferatur, quem, quoniam corruptelis et additamentis posterioris aevi maxime vacat, universi Homeri quasi normam esse inter omnes fere convenire videtur. Quem consensum ut quam maximi faciam, illud me movet. Sunt enim in artibus omnibus et quae

---

[1]) Lipsiae 1867. Quocum conferantur diligentissimi formularum Homericarum collectores C. Boehmer, Observationes de formulis Homericis, Lips. 1869 et A. Koehn, Quaest. metricae et gramm de hymn. Hom. Hallis 1865.

[2]) V. 2 *παρὰ θῖν᾽ ἁλὸς ἀτρυγέτοιο* (Il. 1, 317, 327, Od. 10. 179); V. 3 *νεηνίῃ ἀνδρὶ ἐοικώς* (Od, 10. 278); V. 4. *καλαὶ δὲ περισσείοντο ἔθειραι* (Il. 23, 315); V. 55 *τῷ ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ* (Il. 11, 608; Od. 4, 71). Versus autem 5 *φᾶρος δὲ περὶ στιβαροῖς ἔχεν ὤμοιν* conferatur cum Od. 15, 62 *καὶ μέγα φᾶρος ἐπὶ στιβαροῖς βάλετ᾽ ὤμοις*; et V. 25 *στυγερῷ ἠνίπαπε μύθῳ* cum Od 12, 278 *στυγερῷ μ᾽ ἠμείβετο μύθῳ* et Il 5, 650 *κακῷ ἠνίπαπε μυθῳ*, Il 17, 141 *χαλεπῷ ἠνίπαπε μύθῳ*

[3]) V. 7 *ληΐσταί*; 8 *Τυρσηνοί*; 17 *δεσμεύετε*; 29 *Ὑπερβορέους*; 34 *κατπάνυσαν, θαυματά*; 39 *κατεκρημνῶντο*; 40 *κισσός*; 42 *σκαλμοί*; 46 *λασιαύχενα*; 47 *σέλματος*; 51 *ἐξαλύοντες*; 54 *πανόλβιον*; 55 *μάτωρ*; 56 *ἐρίβρομος*.

a doctrina et quae ab usu proficiscantur. Illa quoniam docentur et discuntur, ab artifice quamvis multum ab eo, quem sibi imitandum proposuit, distante in suum verti possunt; haec quoniam consuetudine quasi per manus traduntur, non nisi in iis inveniuntur, qui disciplinae vel scholae quae dicitur continuitate quadam conjuncti sunt aut eisdem temporibus florent. Hujus autem modi ille consensus est, de quo nunc disputabo. Nam quomodo hexameter pangatur, quid liceat, quid non liceat, haec doctrinae sunt. Sed cum magnae sint in versibus concludendis licentiae, alius autem ad aliam formarum conjunctionem varietatemque cum pro suo quisque ipsius tum pro aetatis suae et disciplinae ingenio trahatur, de hac vero in versibus pangendis varietate nulla fuerit apud veteres doctrina, efficitur, ut, apud quos poetas in tanta libertate ac licentia magnus in versibus pangendis sit consensus, hi aetati vel disciplinae eidem attribuendi esse videantur. Est autem mirus in versuum varietate inter hymnum illum et Homerum concentus. Nam si primum hexametrorum meris dactylis compositorum quota pars omnium versuum inveniatur, quaerimus: ut in Iliade[1]) ita hic est quinta. Tredecim enim sunt inter undesexaginta. Deinde quod dimidia pars — sunt enim duodetriginta, — eorum est, qui uno tantum pede contractionem habent; jam quod versuum qui unum spondeum ferunt, decem sunt qui primo pede, novem autem qui secundo, sex vero qui quarto contractionem habent: in his omnibus maxima apparet cum hexametris Homericis similitudo. Huc accedunt sedecim, qui duos habent spondeos; quorum quattuor in pede primo habent et secundo. Tres autem contractiones in duobus sunt, quorum uterque ita formatus est, ut cum spondeis primi et secundi pedis spondeum quarti pedis conjungat.[2]) Formas tamen minus apud Homerum frequentes exhibent v. 16 cum spondeo quinto et maxime v. 18 cum spondeis quinto simul et quarto loco, quae forma toto Iliadis libro primo semel tantum existit v. 226. Itemque hexametri cum spondeo tertio rarissime apud Homerum usurpantur, cum in nostro hymno quattuor ejusmodi versuum inveniantur exempla v. 10. 58. 35. 48. quorum duo posteriores eo magis nos offendunt, quod in iis tertio simul et quarto pede arsis contracta est non praecedente contractione seu primi seu secundi pedis.[3]) Deinde in caesura adhibenda regula ab Homero constituta satis diligenter a poëta nostro observata est. Cum enim apud illum caesura semiquinaria et post trochaeum tertii pedis fere pari versuum numero legatur, sed paulo saepius trochaica,[4]) eadem in nostro hymno ratio reperitur. Nam de versibus undesexaginta viginti septem semiquinaria, reliqui trochaica dividuntur. Sed in hexametris pangendis et ad dactylorum spondeorumque rationem et ad caesurae usum magnum esse consensum satis apparere puto.

Quid? in syllabis et producendis et corripiendis nonne idem fere est concentus? Atque produci syllabas eisdem rationibus atque in Homeri carminibus, praecipue in vocalibus brevibus ante mutam cum liquida positis cernitur. Nam breves vocales leguntur productae ante τϱ v. 11. 40., ante κϱ v. 38. 39. 45. 47., ante πϱ v. 28, ante βϱ v. 45. 56.,[5]) ante δϱ v. 48., ante φϱ v. 49., ante βλ v. 3., ante πλ v. 27. 33. ante κλ v. 16, ut illius mensurae, qua posteriore aetate usi sunt poëtae Attici ne umbra quidem usquam appareat. Idem de hiatu praedicare non licet, quamvis et hac in re manifesto operam det auctor hymni nostri, ut, quam regulam Homerus constituit, eam quam diligentissime servet. Ut usui Ho-

---

1) cf. Rossbach, Griech. Metr. Leipz. 1868 II p. 341.

2) Quae ratio inter Homeri et nostri hymni hexametrum intercedat, forsitan melius ex hac tabula perspiciatur. Sunt enim

	in Iliadis libro primo	in nostro hymno
omnino versus	611	59
meris dact. compos.	120 seu pars 5 a.	13 s. pars 5 a.
cum uno spondeo	280 seu $^{7}/_{15}$	28 s. $^{7}/_{15}$
cum duobus spondeis	158 s. pars 4 a	16 s. pars 4 a.
cum tribus spondeis	43 s. pars 15 a.	2 s. pars 30 a.
cum spond. in I.^{0} pede	98 s. pars 6 a	10 s. pars 6 a.
cum spond. in II^{0} pede	96 s. pars 6 a	9 s. pars 6 a.
cum spond. in I^{0} et II^{0} pede	48 s. pars 12 a.	4 s. pars 15 a.

3) Rossbach, II. 243.

4) Rossb. II. 334. Hoffmann, Quaestiones Hom. Clausthal 1842. § 11.

5) In sola formula θνητοῖσι βϱοτοῖσι v. 20 ι ante βϱ non producitur. Quod tamen usui Homerico minime repugnat. cf. Spitzner, De versu Graec. heroico. Lips. 1816. p. 89.

merico maxime consentaneum est, quod verborum exitus in αι ante vocales insequentes corripiantur v. 2 et 28, item exitus οι in nominibus secundae declinationis v. 10. Nec minus epicam dicendi rationem refert, quod ει in ἐπεὶ et αι in καὶ ante vocales corripiuntur v. 20. 31. 32. 39.[1]) item quod in conjunctione verborum ἐπεὶ ἴδον diphthongus ει vim suam retinet voce, quae est ἴδον, digammo praedita. Iam in thesi vocales longas exituum, veluti ου v. 6, ῳ v. 25, α v. 26, ει v. 30, quantitatem non immutare, quamquam vocalis subsequatur, aeque cum Homero consentaneum est atque quod v. 55 ῳ in arsi corripitur. Illius quoque vocalis, quae est η, correptio, quae perraro apud Homerum invenitur,[2]) hic facillime exeusatur, cum in formula ἀκτῇ ἐπὶ προβλῆτι poeta noster habeat, ad quod provocet: ἀκτῇ ἐφ' ὑψηλῇ. Sed severitatem rationis epicorum jam imminutam fuisse iis temporibus, quibus hymnus noster conscriptus est, probat correptio particulae ἤ ante vocalem. Quae cum apud Homerum tota Iliade vix quinquies reperiatur,[3]) hic semel offertur v. 29. Praeterea offendimur quam maxime, quod v. 24 exitus 3ae pers. conj. activi ῃ, qui in Iliade septem tantum locis producitnr idque ubique in thesi,[4]) hic in arsi satis illa quidem gravi, ut auctor est Hoffmannus § 66 c., vim suam retinet. Quem hiatum contra codicum auctoritatem interjectione particulae ἐπ' post ὄρσῃ frustra sanare conatus est Iosua Barnesius et post eum editores hymnorum permulti.

Ita paucis rebus exceptis regulam in syllabis producendis et corripiendis ab Homero constitutam a poeta hymni nostri satis diligenter observatam esse videmus. Iam non minorem quam in his rebus cum Homero consensum in verborum nominumque exitibus formandis invenimus. Nam in verborum nominumque declinatione nihil fere est, quod mireris, nisi quae quam maxime differt ab Homeri lingua vox γῇ, v. 44 quam apud hunc frustra quaeras. Ceterum in formis contractis usus Homericus observatur. Nam omnino contractionem, ut reliqui epici, ita hymni auctor quasi aversatur, quod praecique in verborum formis cognosci potest. Nam praeter eas formas, in quibus jam apud Homerum contractio frequentissima erat, quales fuere ἀφῶμεν v. 22 et ἐρεῖ v. 30, nulla invenitur nisi in voce κατεχρημνῶτο v. 39; reliqua verba, quae exeunt in αω, aut non contrahuntur, ut μειδιάων v. 14 et τηλεθάων v. 41, aut diectasim habent, ut πελάαν v. 44.

Quae cum ita sint, cum vocabulorum usus multum ab Homero abhorreat, versuum autem structura levibus quibusdam discrepantiis omissis mire concinat, illud vero poetae sit ab Homero diversi, hoc propius ad eum accedentis, sequi videtur, ut hymnus noster monumentum temporum sit, quae ab aetate Homeri jam aliquantum recedant, quibus tamen ars epica nondum plane evanuerat. Quod si originem ejus ad ea tempora referamus, quae Homeri decessu, quandocumque fuit, et Pisistratidarum regno finiuntur, certe aliquid contendamus, quod non omni probabilitate careat, praesertim cum et alios hymnos plerosque ea aetate ortos esse a vero haud abhorreat.[5]) Sed hoc temporis spatium majus est quam ut in ea circumscriptione aetatis nobis acquiescere liceat. Quam ut arctiore gyro circumscribamus, scrutandum videtur, num ex fabula ipsa certiora quaedam indicia colligi possint. Cujus argumentum est notissimum. Bacchus a piratis raptus et vinctus ipse se solvit, illos praeter gubernatorem, qui deum aliquem agnovit, in delphinos convertit. Quod argumentum si plane esset enarratum, si carmen illud elegantiae laudem, quam ei etiam Bergkius attribuit,[6]) mereretur, non haberemus, unde aetatis indicia colligeremus. Sed quam sit inconcinne compositum, vix credibile est. Illa enim auctor proponit: Bacchus cum purpurea veste specie adolescentuli in litore ambulat, cum subito piratae Tyrrheni ex alto eum prospiciunt filium nobilis alicujus divitisque earum regionum hominis esse rati in terram prosiliunt praedaque parata potiti in navem abducunt. Ibi eum vincire in animo habebant, sed vimina decidebant manibus pedibusque Deus cum risu sedebat. Qua re animadversa gubernator deum aliquem eos vincire clamavit, quem navis ferre non posset. Itaque statim ad terram apportarent neve manus inicerent: periculum esse, ne tempestatem adversam excitaret. Quae cum dixisset, dominus navis illum increpuit: suis fungeretur officiis. Hic vero, inquit viris curae esto. Spero hunc ad Aegyptios aut Hyperboreos aut

---

[1]) Hoffmann, Quest. Hom § 60.
[2]) Hoffmann, ibd. § 50. 58. 60.
[3]) Hoffm. ibd. § 52.
[4]) Hoffm. ibd. § 59.
[5]) f. Illgen Hym. Hom. cum rel. carminibus Hom. tribui solitis, Hall, 1796. p. XIV ss. Bergk, G. L. I. p. 752 s.
[6]) Griech. Litter.-Gesch. p. 753.

ultimas gentes perventurum. Ad extremum tandem amicos suos, bona, propinquos enumeret, quoniam deus nobis tradidit. Quae ubi dixit, ipse gubernatoris officiis fungitur vento secundo. Celeriter autem portenta conflata sunt: vinum per omnem navem manavit odorque caelestis oriebatur. Quae dum nautae mirantur, in summo malo vitis maxima apparuit, unde uva multa pendebat. Hedera autem navem ac remos circumdabat tenebatque. Tum vero gubernatorem jam appellere jusserunt. Ille autem in leonem conversus in summa prora cum mugitu extitit. Ursum in media nave effecit. Nautae vero in puppem ad gubernatorem sapientem fugerunt. Ille vero dominum corripuit: quam mortem ut effugerent, omnes simul in mare exsiluerunt mutatique sunt in delphinos. Gubernatorem miseritus retinuit et divitissimum reddidit, cum se Bacchum esse Iovis Semelesque filium confessus esset.

Haec si cum poemate ipso contuleris, ab illius contextu non recedere et, quae hic te offendant, ad illud esse expressa satis apparebit. Offendi autem multis rebus debes. Versus undecim primi satis cohaerent. Sed quid illud sibi vult, quod poeta *ἔθελον δεῖν* dicit v. 12? Cum, quae antecedunt, *ἔδησαν* postulant, tum, quae sequuntur, repugnant. Nam quomodo, quae inicere volebant vincula, defluere poterant? At putas fortasse imperfectis *ἔθελον, ἴσχανε, πῖπτον* frustra saepe illos conatos esse significari. At hoc si statuis, quod per se mirum est, unum gubernatorem hoc animadvertisse etiam magis mirum evadit. Quid vero illud, quod gubernator quae animadverterat, cum sociis non communicavit? Veretur, ne juvenis ille se deperdat; admonet, ut dimittant, neve manus iniciant; deum enim esse. Quod unde et ipse sciat et illi facillime cognoscere possint, ex vinclis sponte sua dejectis v. 13—15, non dicit: ad speciem formamque ablegat. Quae omnia ille jure suo orasset, priusquam nautae manus inicerent, ut Acoeten Ovidius Met. 3. 609—612 fecisse narrat. Harum verum quanta sit repugnantia videtis. Iam ad domini verba veniamus, quae non minores habent difficultates. Nam primum cum gubernatorem ad officium suum revocasset, juvenem illum sibi uni aut reliquis curae esse dicere debebat. Dixit: *ὅδε δ᾽ αὖτ᾽ ἄνδρεσσι μελήσει*, quae oratio sane est inepta. Deinde, quid eum adduxerit, ut non simpliciter juvenem veniturum diceret, sed

ἔλπομαι ἢ Αἴγυπτον ἀφίξεται ἢ ὅγε Κύπρον
ἢ ἐς Ὑπερβορέους ἢ ἑκαστέρω

quamquam fingi atque excogitari potest, tamen poeta ipse ne pestringit quidem. Tum illa:

ἐς δὲ τελευτήν
ἔκ ποτ᾽ ἐρεῖ αὐτοῦ τε φίλους καὶ κτήματα πάντα
οὕς τε κασιγνήτους

nonne ita sunt dicta, quasi Bacchus haec se demonstraturum esse negaverit? Cujus rei ne umbra quidem reperitur. Sed dominus ille ineptissime non modo loquitur sed etiam agit. Quid enim fuit causae, cur gubernatorem modo adhortatus, ut officio fungeretur, illius non recusantis munus ipse adierit? iam quid sit:

ἱστόν τε καί ἱστίον ἕλκετο νηός

plane incertum sit, nisi id, quod Homerus Od. 2. 424 ss. et 15. 289 st. dicit

ἱστὸν δ᾽ εἰλάτινον κοίλης ἔντοσθε μεσόδμης
στῆσαν ἀείραντες, μετὰ δὲ προτόνοισιν ἔδησαν
ἕλκεον δ᾽ ἱστία λευκὰ ἐϋστρέπτοισι βοεῦσιν

animo poetae obversatum neque satis intellectum esse sumamus.

Plurima igitur neque levia in carmine illo sunt vitia. Neque tamen venustatem omnino deesse contenderim. Nam ut undecim primi, ita viginti septem extremi haud sunt inelegantes et ante oculos res quasi proponunt, nisi quod pauci loci grammaticas habent obscuritates. Quarum gravissimae illae suut: v. 44 *ὁ δ᾽ ἄρα σφι λέων γένετ᾽ ἔνδοθι νηός*, v. 47. *ἂν δ᾽ ἔστη μεμαυῖα* v. 50 *ὁ δ᾽ ἐξαπίνης ἐπορούσας*. Primo enim obtutu haec verba ad alios atque poeta voluit a legentibus referuntur. Quae cum ita sint, omnino in hoc carmen quadrare videntur, quae Kirchhoff de libri I Odysseae parte quadam praeclarissime dicit: „Es ist unmöglich, dass Jemand seine eigenen Gedanken und Worte missverstehe, aber es ist sehr möglich und unter gewissen Voraussetzungen, welche sich nicht a priori construiren lassen, sondern durch die Erfahrung gegeben sein müssen, nothwendig, dass Jemand eines anderen Gedankengang und Ausdruck oberflächlich auffasse oder gänzlich missverstehe. Knüpft er nun seine eigenen Gedanken an einen von ihm falsch aufgefassten Zusammenhang,

benutzt er gar die Elemente einer fremden, ihm auch innerlich fremden Darstellung für seine eigenen Zwecke und nach seiner Auffassung, so wird mit Nothwendigkeit, ohne dass es irgend in der Absicht zu liegen brauchte, dem fremden Gute Gewalt angethan und aus der Vereinigung disparater und sich nothwendig abstossender Elemente entsteht ein Zusammenhang, der den Zwang, der ihm das Dasein gegeben, nicht etwa nur zufällig verräth, sondern nach innerer Nothwendigkeit verrathen muss . . . . Freilich kann so etwas nur einem mittelmässigen Kopfe passiren; allein gewohnheitsmässige Form und selbst umfassende Kenntniss der überlieferten und zum Gemeingut gewordenen Formen poetischer Ausdrucksweise sowie Routine in der Handhabung derselben, Dinge, die in den Zeiten absinkender Kunst auch einer älteren Zeit gemein zu sein pflegen, stempeln den Verfasser noch nicht zu einem Dichter, dem solche Missverständnisse nicht zuzutrauen wären."

Quae cum omnino in hymnum nostrum conveniant, confirmant illam, quam supra proposuimus temporum circumscriptionem. Quam ut in angustius contrahamus, ante omnia res ac nomina, quae in hymno illo occurunt, diligentius sunt perpendenda. Atque quo loco Bacchus injuria illa affectus sit, in hymno nostro non extat. Sed cum reliqui omnes, quicunque de nautarum mutatione narraverunt, aut in ipsa Naxo aut circa ea loca accidisse tradant, verisimile est ibi hujus fabulae patriam quasi ac sedem fuisse, praesertim cum nullo fere loco deus ille majorem aut antiquiorem habuerit honorem cultumque.[1]) Naxine igitur compositum esse carmen illud putabimus? Adduci vix possumus, cum insulae illius prorsus nulla fuerit in arte epica gloria. Quae si fuisset, quibus temporibus ars floruisset isdem hymnum ortum esse contenderemus. Baumeisterus eum recentioribus temporibus tribuit neque ante Praxitelem sculptorem oriri potuisse docet, quod ante hunc mos non fuerit, ut Bacchus adulescentuli specie effingeretur. At quam leve sit hoc argumentum, Bergkius iam demonstravit, quippe qui non veram dei describi speciem, sed per dolum indutam monuerit.[2]) Contra efficitur, ut hymnus temporibus, quibus Bacchus barbatus fingi solebat, ortus sit. Quod si ex juvenili Bacchi forma nihil colligitur, at certe ex Tyrrhenorum mentione potest. Mirum enim videtur, quod poeta, qui ceterum nominibus prorsus abstinet, cujus gentis piratae fuerint tradit Tyrrhenosque appellat. Qui apud Homerum omnino nusquam, apud Hesiodum uno eoque ficticio loco commemorantur.[3]) Quod si verum esse concederemus, quod contendunt viri doctissimi Groddeck, Niebuhr, C. O. Müller,[4]) nomen illud in nostro hymno non ad eos Tyrrhenos referendum esse, qui a Romanis dicuntur Tusci vel Etrusci, sed ad eos, quos e Lydia in Italiam migrasse narrat Herodotus et quos Thraciam atque Lemnum et Athenas olim incoluisse fabula est,[5]) quaestio tota de aetate hymni ambigua esset, quoniam hos Tyrrhenos populum antiquissimum fuisse, fortuito autem neque ab Homero neque ab Hesiodo memoratos esse liquet. Hi tamen Tyrrheni, si qui fuerunt,[6]) certe tanta erant obscuritate, ut vix doctioribus rerum Graecarum scriptoribus innotescerent, indoctis sine dubio omnibus ignoti erant. Hos igitur Pelasgicos Tyrrhenos nostro carmine memorari vix credibile videtur. Nam Callimachi tempore si vixisset ejus poeta, mirum sane foret, ni gentem novisset, de qua fabulas latebrarum plenas protulere scriptores tantae auctoritatis, quantae fuere Herodotus et Thucydides, et si cognitam haberet, occasionem egregiam praetermisisset doctrinae ostendendae. Nostrum vero carmen nihil nimiam doctrinam redolet. Itaque non de fabulosis illis Tyrrhenis, qui semper gryphes et sphinges doctissimis viris manebunt, sed de his, qui vere ita dicuntur, cogitasse poetam hymni cum Goettlingio censemus.[7]) Tyrrhenos enim apud Graecos maxime propter piraticam infames fuisse constat.[8]) Ouo factum est, ut ipsum Tyrrheni nomen apud eos piratam significaret atque omnes piratae sive ex illa gente erant sive non erant Tyrrheni appellarentur.[9])

---

[1]) f. Preller, Gr. Mythl. Berl. 1872. I. 557. Conr. Bursian, Geogr. v. Griech. Leipz. 1872. II. p. 491.

[2]) G. L. 753.

[3]) In ipso fine Theog. v. 1016, quocum conferatur ed. Goettlingii p. LI. LVII. Bergk, G. L. I p. 987. Lange, Roem. Alt. Berl. 1863. I. p. 63.

[4]) Groddeck p. 63 adn. x. Niebuhr, R. G. Berl. 1873. I. p. 36. C. O. Müller, Die Etrusker. Stuttg. 1876. p. 73.

[5]) Herod. 1. 57. 94. Thuc. 4. 109.

[6]) Lydios illos vel Thracios Tyrrhenos omnino umquam fuisse negat Lange, R. A. I. p. 61 s. cf. Mommsen, R. G. Berl. 1868. I. 123. s.

[7]) Goettl. Hes. Sc. H. 122. Naxo in Etruriam cultum Bacchi penetrasse suspicatur idem O. et D. 589.

[8]) C. O. Müller, Die Etr. p. 180 st. Niebuhr, R. G. I. 90. 106.

[9]) „Es scheint, dass alle Corsaren des unteren Meeres bei den Griechen stets als Tyrrhener galten" Niebuhr, R. G. I. p. 106.

Ita Tyrrhenorum nomen in carmen nostrum irrepere potuisse, etiamsi in illo ab initio non fuerit, contendere non dubitem, quod supra jam memoravi hymnum nostrum cum locorum tum raptorum nominibus ceterum omnino carere. Tyrrhenos igitur auctor hymni raptores Bacchi eodem jure appellarit, quo Homerus Taphios aut Phoenices eos dixisset.

Quae si ita sunt, jam conicere licet carmen nostrum non ante conscriptum esse quam Tyrrhenorum nomen apud Graecos innotuisset. Hoc autem quo potius tempore factum esse putemus quam post pugnam illam navalem, qua Phocaei a Tuscis Poënisque sociis superati Corsica decedere et in Lucania novas sedes sibi quaerere coacti sunt?[1]) Viguere enim ea tempestate Etrusci quam maxime et non solum mare illud, quod ab iis Tyrrhenum nomen accepit, classibus ita tenebant, ut Graeci perraro trans ostia freti Siculi navibus provehi auderent,[2]) verum etiam Siciliae urbes maritimas, Adriae et Ionici maris oras et insulas ita latrociniis petebant, ut circiter annum 494 a. Ch. n. Anaxilaus, Rheginorum tyrannus ad Scyllaeum navium stationem institueret, quae prohiberent, ne Etrusci hanc maris partem intrarent.[3]) Quam aptissime his ipsis temporibus hymnum nostrum attribui intelligitur. Neque haec discrepant ab illis, quae ex sermone et ex arte poëtica conjecimus. Accedit, quod eodem tempore Pisistratus filiique poesim epicam ad novam vitam resuscitaverunt. Ut etiam Athenis hymnum nostrum ortum esse putem illud me movet, quod ibi Bacchi sacra in praecipuo semper honore fuere et prima in ejus honorem certamina poetarum, musicorum aliorumque id generis celebrata sunt. Quid, quod festum rhapsodorum Braurone in vico Atticae quinto quoque anno actum esse memoriae proditum est?[4]) Nonne haec etiam opinionem nostram aliquantum comprobant? Naxo autem, ubi fabulae patriam ac sedem fuisse supra suspicati sumus, narratio de Bacchi casu mirabili facillime Athenas deferri potuit. Societas enim tunc fuit arctissima inter hanc urbem et insulam, cujus princeps Lygdamis Pisistrati ope Naxiorum tyrannus factus est, ut ipse illum tertium Athenas redeuntem argento et auxiliis juverat. Ad eundem Pisistratus pueros, quos dominatus firmandi gratia a proceribus Atheniensium pignora acceperat, custodiendos deduxit, ut vel hanc ob rem frequentissimum tunc fuisse commercium inter duas illas urbes appareat.[5]) Nec vero vagi rumoris specie fabulam illam Athenas allatam esse crediderim, sed versibus jam conceptam idque ea carminis forma, qua Bacchi laudes plerumque ferebantur. Dithyrambicum enim quoddam, ut Baumeisteri verbis utar, dicendi genere vividissimo ac fervidissimo praecipue alteram hymni partem (v. 32—59) spirare vix possit negari. Paeterea initium ex hoc poesis genere desumptum esse videtur, si fidem habemus Suidae et Scholiastae ad Aristoph. Nub. 595, qui dithyramborum poetas formula a Terpandro inventa: *᾽Αμφί μοι αὐτὸν ὄνακτα ἑκατηβόλον* (vel alium quemlibet) *ἀδέτω φρήν* in exordio usos esse perhibent, unde *ἀμφιανακτες* nomen iis inditum esse.[6]) Talem originem hymni nostri ut statuam, maxime me movent, quae supra de universa carminis indole exposui. Neque vero deest vestigium aliquid ejus rei. Vox enim *κάτωρ*, quae cum in omnibus codicibus inveniatur, mutari profecto non debet, non modo nostris temporibus quid sibi velit non intelligitur, sed ne ab auctore quidem intellectum esse verissimile est. Tali autem auctori, qualem supra depinximus, ob eam ipsam causam retinere placuisse quis est qui neget? Interpretatio igitur vocis, si ulla esse poterit, ex dialecto Naxia erit repetenda.

---

1) Quam pugnam circiter annum 537 a. Ch. n. accidisse auctores sunt Niebuhr R. G. I. 105. Mommsen R. G. I. 146.

2) Niebuhr I. 90. 106 s. Mommsen, I. 143 C. O. Müller, Die Etr. p. 182.

3) Niebuhr, I, p. 106.

4) Baumeist. adn. ad hunc hym. Bergk G. L. I. p. 748. De festo rhapsodorum cf. Welcker, Der ep. Cycl. Bonn 1835 I p. 391 ss.

5) Herod. 1. 61. 64.

6) Etiam Groddeck p. 23. 62 s. hymnum nostrum dithyrambicis hymnis adnumerat. De amphianactibus cf. Groddeck p. 23. Baumeister p. 339. Bergk p. 749.

Ita Tyrrhenorum nomen in carmen nostrum irrepere potuisse, etiamsi in illo ab initio non fuerit, [illegible] non dubitem, quod supra [illegible] hymnum nostrum cum hocorum tum raptorum [illegible] omnino [illegible]. [illegible] hymni raptores Bacchi eodem jure appellari, quo [illegible] Tarphios aut [illegible] dixisse.

[illegible] carmen nostrum non ante conscriptum esse quam Tyrrhenorum nomen apud Graecos [illegible]. [illegible] tempore factum esse putamus [illegible] Corsica devicta et in [illegible] Vigebat enim ea tempestate [illegible] quam maxime [illegible] nomen accepit, [illegible] ita tenebant, ut Graeci [illegible] verum etiam Siciliae urbes maritimas [illegible] potebant ut circiter annum 494 a. Chr. n. [illegible] stationem instituerent, quae prohiberent [illegible]. Quam [illegible] temporibus hymnum nostrum [illegible]. Neque [illegible] quae ex sermone et ex arte poetica [illegible] poesin epicam ad novam vitam [illegible]. [illegible] me movet, quod ibi Bacchi [illegible] certamina poetarum, musicorum [illegible] rhapsodorum [illegible] in vico Atticae [illegible] Notatu haec etiam opinionem nostram [illegible] supra sapienti [illegible] potuit. [illegible] enim tunc fuit [illegible] Naxiorum tyrannus factus est, [illegible] Ad eandem Pisistratus [illegible] pignora acceperat, ea [illegible] inter duas illas urbes appareat.[5] Nec [illegible] esse crediderim, sed versus [illegible] laudes pleraque ferebantur. Dithyrambicum enim [illegible] vividissimo ac fervidissimo praecipue [illegible] Praeterea initium ex hoc poesis genere [illegible] ad Aristoph. Nub. 595, qui dithyramborum [illegible] (vel [illegible] nomen iis inditum esse.[6]) [illegible] supra de universa carminis indole [illegible]. Vox enim [illegible], quae cum in omnibus codicibus [illegible] non modo nostris temporibus quid sibi velit non intelligitur, [illegible] verisimile est. Tali autem auctori, qualem supra [illegible] quis est qui neget? Interpretatio igitur [illegible] Naxia erit repetenda.

---

[1]) [illegible] Niebuhr R. G. I. 105. Mommsen R. G. I. 146.
[2]) Niebuhr I. [illegible] Mommsen I. [illegible] O. Müller, Die Etr. p. 182.
[3]) Niebuhr, I. p. 109.
[4]) [illegible] Boeckh C. I. I. p. 748. De [illegible] rhapsodorum cf. Welcker, Der ep. Cycl. Bonn 1835. I p. 391 ss.
[5]) Herod. I. 61. 64.
[6]) [illegible] De amphidromiis et Gredeck p. 23. [illegible] p. 172.